



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 6. Qua certitudine constare debeat de iusta causa belli, vt sit iustum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

potestas in spiritualibus non datur in ipso Pontifice. Dico autem per se, quia per accidens contingere aliud potest, ut statim dicam.

Quid ex-
ponitur.

5. Quartus titulus affertur. Quod infideles barbari sint, & inepti: ut se conuenienter regant. Ordo autem naturæ postulat, ut prudentiores gubernent huiusmodi homines, quod docuit Aristoteles primo Politicorum capite primo. Vbi capite quinto docet bellum naturæ iustum esse, quod contra homines suscipitur, qui ad parendum nati sunt, neque parere volunt. Atque hunc titulum probauit Maior in 2. distinction. 44. quæstion. 3. & late Sepulveda libro 7. capite 2. At enim hic titulus primum non potest esse generalis, nam euidenter multos esse infideles ingeniosiores fidelibus, & aptiores ad res politicas. Secundo, ut hic titulus habeat locum, non satis est existimare aliquam nationem esse ingenio inferiorem, sed esse ita inopem, ut regulariter potius feratur more, quam hominum viuatur, quales dicuntur ij, qui nullam habeant humanam politiam, & nudi prorsus incedunt, carnibus vescuntur humanis, & cetera. Et si qui tales sunt, debellari poterunt, non ut interficiantur, sed ut humano modo instituuntur, & iuste regantur. Raro tamen aut numquam admittendus est talis titulus, nisi ubi intercedunt occisiones hominum innocentum, & similes iniuriæ: quare potius titulus hic reuocatur ad bellum defensionum, quam aggressium. Tandem Aristoteles supra tunc solum ait licere hoc bellum, quando dicti homines qui regendi debellantur, tam distant ab alijs, quam à corpore animus. Ex quo nihilominus intelligitur, hunc titulum, si quis est, non esse proprium Christianorum, sed eundem pertinere ad omnem Regem, qui velit seruare legem naturæ, ex qua præcisè considerata hic titulus oritur.

6. Dicendum est ergo, nullum esse titulum belli ita proprium Christianorum principum, qui non habeat fundamentum aliquod, vel certe proportionem cum lege naturali: atque adeo qui suo modo non etiam conueniat principibus infidelibus, quod ut explicem, Dico primo. Christianus princeps non potest indicare bellum, nisi vel ratione iniuriæ, vel ob defensionem innocentum. Probatursufficiens ex eo, quia exclusi sunt omnes falsi tituli. Et rationes factæ hoc probant: nam lex gratiæ non destruit legem naturæ, sed illam perficit.

7. Dico secundo. Defensio innocentum peculiari modo potest habere locum in principibus fidelibus, & idem est suo modo in iniuriarum vindicta. Nam si respublica subdita infideli principi velit suscipere legem CHRISTI, & Rex infidelis prohibeat, habent Christiani principes ius defendendi illos innocentes. Quod si talis respublica vellet recipere legem infidelium, Mahometicam, Verbi gratia, ac Princeps nollet, non haberet infidelis Princeps Turca simile ius contra illum Regem. Ratio est, quia impedire legem Christi est re vera grauis iniuria, & damnum: prohibere vero aliam legem nulla est. Item si audire velint, ratione possunt conuinci hoc esse credibilis, & credendum, iuste igitur eis hac in parte succurritur. Similia exempla sunt, quæ ad primam partem conclusionis spectant, si Prædicatores Euangelij iniurijs afficiantur; vel certe aliquid agant infideles Principes in detrimentum fidelium: nam hæc est iniuria Ecclesiæ, ad quam expellendam, & vindicandam ius suum habet; quod aliqua ex parte supernaturale est, nimirum, facultas Dei ad prædicandum Euangelium, atque hoc modo certum est non spectare hoc ius ad infideles, quæ omnia satis patent ex materia fidei, disp. 18. sect. 1.

8. Dico tertio, hæc omnia ita habere fundamentum in ratione naturali, ut proportionem seruata, *Sunt de Charitate.*

possint quodammodo ad infideles applicari. Explicatur. Nam si velit aliqua respublica colere vnum Deum, & seruare naturæ legem, vel audire Prædicatores, qui hoc doceant, & à suo Principe per vim impediatur, oriatur inde alteri Principi iustus titulus belli, etiam si non sit fidelis, sed sola ratione naturali ducatur, quia illa erit iusta defensio innocentum. Simili modo, si aliqua respublica coleret vnum Deum, & seruaret, leges naturæ, alia vero idololatriam exerceret, ac contra rationem naturalem viueret, haberet illa ius ad mittendum, qui hanc docerent, & erroribus liberarent. Quod si per vim impeditur, iure posset bellum prosequi: quia id ius est valde consentaneum naturæ: tum etiam, quia ibi admisceretur innocentum defensio, cum moraliter loquendo non sint defuturi, qui velint edoceri veritatem naturalem necessariam ad bonum honestum, à qua voluntate inique impediretur: tum denique propter rationes alias adductas, in materia de fide, disp. illa 18. quæ seruata proportionem hic procedunt.

SECTIO VI.

Qua certitudine constare debeat de iusta causa belli, ut illud iustum sit.

Distinguenta sunt tria genera personarum, scilicet supremus Rex, & Princeps, Primarij homines: & Duces, communesque milites, & supponendum, in omnibus requiri certitudinem practicam, quæ explicatur hoc iudicio, *nihil iustum est bellare.* Dubium totum vertitur de certitudine speculatiua; quæ ita explicatur: *hec causa belli iusta est in se, vel hæc res, quam præcedo per bellum, mea est.*

1. Dico primo. Supremus Rex tenetur ad diligenter causæ, & iustitiæ examinationem, qua facta bipartita, & operare debet iuxta scientiam inde comparatam. Fundamentum prioris partis est: quia negotium belli est grauissimum, ratio autem postulat, ut in quouis negotio adhibeatur consultatio, & diligentia qualitati eius accommodata. Item, ut iudex sententiam ferat in priuato negotio, debet diligentem adhibere examinationem: ergo proportionaliter in publica belli causa. Tandem quia alijs temeritate Principum facile turbarentur omnia, Itaque in priori hac assertionis parte nulla est difficultas.

2. Posterior vero ita explicatur. Ponamus enim titulum belli esse, quod Rex hic contendat hæc vrbem ad se pertinere, vel iure hæreditario sibi obuenire denuo. Iam si facta diligentia illud certo constet, aperta est assertio. Quando vero res est pro utraque probabilis, tunc se debet Rex gerere, ut iustus iudex; quare si sententia sibi fauens inuenitur probabilior, potest etiam iuste prosequi ius suum, quia ut verum existimo, in sententijs ferendis, sequenda est semper probabilior pars, quia ille est actus iustitiæ distributiue, in qua dignior est præferendus. Est autem dignior, cui probabilius ius fauet, de quo latius infra. Eadem vero ratione si pars contraria habeat pro se sententiam probabilior, nullo modo poterit ille Princeps mouere bellum.

3. Si denique facta diligentia inuenitur æqualis probabilitas pro utraque parte, vel certe æquale dubium, vnde cumque aliud oriatur, tunc si alter possidet, præferendus est; quia in iudicio etiam ille præfertur, cum maius ius habeat; quapropter, qui non possidet, mouere bellum nequit contra possidentem; qui vero possidet, tutus est, ac se defendere iuste valet. Quamuis Adrianus in 4. materia de restitutione, & quodlib. 2. artic. 2. contrarium

2. Conclusio
bipartita.
Sua detur
pars prior.

Explicit
posterior.

Quid quæ-
do altera
pars est præ-
babilior.

Quid quæ-
do æqualiter
dubitatur de
altera parte
possidet.

sentiat in hoc ultimo: nam ille (inquit) dubitat, An retineat alienum, non est ergo tutus. Sotus etiam in 4. de iustitia quæst. 5. argumento ultimo dicit, eum qui dubitat, teneri ad diuidendum eum altero, vel satisfaciendum alteri pro ratione dubij, quod esset verum, si à principio incepisset possidere eum dubia fide: nam talis possessio non confert ius, si verò à principio erat possessor bonæ fidei, & postea ortum est dubium, & diligentiam fecit ad inquirendam veritatem: non tamen potuit assequi, securè potest totum retinere: quia dubium manet purè speculatiuum, & talis possessio confert simpliciter ius ad rem totam quod in genere satis ostendimus in materia de conscientia in tractatu 3. disputatione 12. sectione 5. & 6. & in specie docet Covarr. regula Possess. Parte 1. §. 7. & Victoria dicta relectione. Et idem Sotus relectione de secreto, memb. 3. quæst. 2. Aduertit tamen Victoria teneri huiusmodi possessorem, eum oritur dubium, diligenter inquirere veritatem, & ad hoc egi posse ab alio, etiam per bellum, si alias nollit, quia reuera id postulat ratio iustitiæ, & recti iudicij.

Quid quando neutra possidet.

4. Aliud membrum est, si nullus possideat, & dubium, vel probabilitas sint æqualia. Communior sententia esse videtur, vnumquemque habere ius ad primò occupandum: vnde fieret iustum bellum ex vtrâq. parte, quod non refert, eum interponitur ignorantia. Ratio verò affertur. Quia in simili casu iudex posset adiudicare rem suo arbitrato cui veller partium litigantium. Ego verò mihi suadere nequeo id licere iudici in tali casu, in quo certè iudex est tantum distributor rei, in quam ipse ius non habet. Ergo si iura partium semper sunt prorsus æqualia, non est, eum possit ipse totam alteri attribuire: tenetur ergo diuidere, vel si res diuidi vtiliter non possit, oportebit ratione aliqua vtrique parti satisfacere. Ergo ad hoc ipsum tenebuntur Principes in casu belli, nam aut inter se rem diuident, aut sortem mittent, vel aliqua alia ratione negotium component. Quod si vnus tentaret rem totam occupare, aliumq. excludere, hoc ipso iniuriam alteri faceret, quam posset iuste repellere, & eo titulo iusti belli, rem totam occupare.

In dubio de iusto bello teneri principem committere iudici bono viro probabilius.

5. Sed quæres, An in huiusmodi casibus teneantur supremi Principes arbitrio bonorum virorum iudicium relinquere. Est autem quæstio, stando in lege naturali tantum, vt omittamus Papæ auctoritatem, de qua iam diximus. Censeo verò, probabilem valde esse partem quæ affirmat. Etenim teneantur ij quoad possunt vitare bellum honestis medijs. Si ergo nullum periculum iniustitiæ timeatur, illud planè est optimum medium: erit ergo amplectendum. Confirmatur. Nam impossibile est, auctorem naturæ in eo discrimine reliquisse res humanas, quæ frequentius coniecturis potius, quàm certa ratione reguntur, vt omnes lites inter Principes supremos, & respublicas non nisi per bellum terminari debeant: est enim id contra prudentiam, ac bonum commune generis humani: ergo contra iustitiam. Præterquam quod iam regulariter ij haberet maius ius, qui potentiores essent, atq. adeo ex armis esset metiendum, quod barbarum & absurdum satis apparet.

Notatio 1. circa datam resolutionem.

6. Sed in hoc obseruandum primò erit, non teneri supremum Principem stare iudicio eorum, quos ipse non constituit ad iudicandum: oporteret ergo, vt vtriusq. partis consensu arbitri eligerentur, quod quidem medium, quia rarè amplectuntur, idèd solet esse rarissimum. Nam sæpius aliter Princeps suspectos habet iudices externos. Deinde aduertendum, posse supremum Principem, si bona fide procedat, expendere ius suum per prudentes, & doctos viros: quorum iudicium, (si per illud sibi constet de iure suo) sequi potest, siq. non

Notatio 2.

tenebitur stare aliorum iudicio. Ratio est, quia ita est de hoc iure iudicandum, sicut de iusta lite: iniusto autem iudicio duo intenduntur. Vnum est examen causæ, & cognitio iuris vtriusq. partis: cui negotio necessaria non est iurisdictio, sed scientia potius, & prudentia. Quia cum non intendatur per bellum, sed bello supponatur, non est cur arbitris sit committendum. Alterum est executio iuris iam patrefacti: ad hoc verò iurisdictio postulat, quam per se habet supremus Princeps, quando alias sibi constat satis de iure: tunc ergo non est cur expectare teneatur alterius arbitrium, quamuis debeat iusta pacta acceptare, si offerantur.

7. Dico secundò. Duces, & alij Principes regni, quoties ad consilium vocantur, vt iudicium ferant de bello inchoando, tenentur veritatem diligenter inquirere: non vocati autem, non magis obligantur, quàm alij communes milites. Prior pars liquet, quia vocari tenentur ex iustitia iustum consilium dare, alias illis imputabitur, si qua fuerit iniustitia in bello. Posterior probatur: quia non vocati iam se gerunt in hoc negotio, vt priuati milites, tantumq. mouentur, non verò mouent: per accidensq. est, quòd sint nobiles, aut diuites. Addit tamen Victoria supra, ex charitate teneri hos iustitiæ belli inquirere, vt admoneant quando oportuerit. Verum si obligatio est ex sola charitate, habebit locum solummodo tempore necessitatis. Vnde alias per se loquendo non tenebuntur.

8. Dico tertio. Communes milites subditi principum nullam diligentiam adhibere tenentur, sed vocati ad bellum ire possunt: dummodo illis non constet esse iniustum. Probatur tum quia quando iis militibus non constat de iniustitia belli, consilium commune Principis, & regni facis illis est ad eundem: tum etiam, quia subditi in dubio (speculatiuo scilicet) tenentur obedire superiori capite. Quid culpatur 23. q. 1. ex Aug. 22. contra Faustum capit. 75. idq. optima ratione. Nam in dubijs tutior pars est eligenda, cum autem Princeps possideat ius suum, tutius est illi obedire. Confirmatur assertio: nam minister iudicis potest exequi sententiam nullo præmisso examine, dummodo non constet esse iniustam. Atq. hæc est communis sententia Caietani in summa verbo bellum, Sot. in 4. de iustitia. quæst. 7. art. 2. Victor. supra, Syluest. verbo bellum 1. q. 9.

9. Videtur tamen Syluester hoc limitare Nam si timet dubitent (inquit) tenentur inquirere, vt expellant dubium, quod si non potuerint, tunc licebit militare. Adrian. verò in quodlib. 2. omnino negat licere cum his dubijs ire ad bellum, tum quia nunquàm licet operari cum dubia conscientia, tum quia iam milites illi eligerent partem minus tutam, eum se exponerent periculo iniuste occidendi, & prædandi, non eundo autè, solam peccarent non obediendo. Iustitia autem rigorosius obligat, quàm obedientia. Sed occurrèdum, dubium hoc non prædictum esse, sed speculatiuum, ideoq. non reddere conscientiam dubiam, sed neq. pars esset tutior, non obedire: nam ex simili inobedientia ordinariè sequeretur, non posse principes defendere iura sua, quod grande esset, ac commune incommodum. Quod verò attinet ad limitationem Syluestri, aduertèdum: dubium aut posse esse purè negatiuum, quia videlicet milites omnino ignorant in eo negotio rationem iustitiæ, vel iniustitiæ. ac tunc nihil tenentur inquirere, sed sufficienter niti valent auctoritate sui Principis, aut est dubium positium ortum ex rationibus pro vtrâq. parte, occurrètib. & quidem si rationes ostendentes bellum esse iniustum, tales essent, quibus ipsi nescirent satisfacere, teneretur tunc aliquo modo inquirere veritatem, quantum nec hoc onus erit facile imponendum, nisi rationes illæ valde suspectam redderent iustitiam bellum nam

nam tunc iam viderentur milites declinare in quoddam iudicium morale, quod bellum sit iniustum, alioqui verò si rationes habent probabiles pro iustitia bellicum, possunt se illis conformare.

io. Maior difficultas est de militibus non subditis, qui vocantur stipendiarii. Communis sententia esse videtur, teneri hos ad examinandam iustitiam belli, antequam dent nomina. Ita sentit Syluest. supra, qui etiam definit eos cum dubio non posse scire ad bellum; & ferè idem sentit Caiera. in summa verbo *Bellum*: limitat tamen, nisi hi accipiant stipendium etiam tempore pacis, obstricti, sint ad eundem quoties vacentur: tales enim possunt se gerere, vt subditi, quia reuera subditi sunt ratione stipendij. Fundamentum est, quia in eo casu tutius est non militare, non subditum, cum non militando, nulli periculo se exponat, militando autem se exponit iis omnibus, quæ numeravit Adrianus: in dubijs autem tutior pars sit eligenda. Confirmatur primò ex regula iuris 19. in 6. & 38. in ff. quæ dicitur, non esse sine culpa, qui rebus, quæ ad ipsum non spectant, se immiscet cum periculo alterius. Vnde Ambrosius lib. 3. officiorum cap. nono, & habetur in 14. quæstione 5. cap. *Denique*, generaliter dicit, neminem debere cum discrimine alterius alterum iurare. Confirmatur secundò. Quia ob hanc rationem in simili dubio docent iura coniungi, qui dubitat, posse debitum reddere, sed non petere, & ob eandem rursus dici potest cognatus, & amicos principis non posse se iniucem iurare, nisi probè examina a causa.

ii. Nihilominus contra hanc sententiam occurrunt hæc difficultates. Primùm quia iam oporteret singulos milites stipendiarios examinare causam belli, hoc autem est contra omnem consuetudinem, & humano modo impossibile, quia vt supra dicebam, neque omnibus potest reddi ratio, neque omnes sunt illius capaces. Secundò quia etiam milites subditi non possent ire ad bellum dubium, sine examine causæ; nisi quando strictè præciperentur, ita vt non cundo inobedientes fierent: siquidem tunc solum excusati illos obedientia: quando verò non imponeretur præceptum, tutius non militarent. Consequens autem est contra omnem morè: aliaque obligatio perniciose esset Reipublicæ. Tertiò. Si stipendiarii perpetui ante tempus belli potuerunt se obligare ad militandum, etiam in casu dubio, transendo suam conscientiam, in conscientiam Principis, cur non poterunt id facere, qui accipiunt stipendium in belli initio? Nam moraliter eundem rationis est exercere actum, & obligare se ad exercendum. Et confirmatur, quia sicut non licet ire ad bellum iniustum, ita nec obligare se, ad militandum in bello illo: neque etiam ad militandum indifferenter in omni bello siue iusto, siue iniusto: & hoc ideo, quia militare in iniusto bello est iniustum: ergo è contrario, si licet se obligare in bello dubio: iniqua non est talis obligatio: ergo sine vlla præcedenti obligatione licebit propter stipendium hic, & nunc id facere: neque verò multum referre videtur, quod iam antea censetur quispiam subditus ratione stipendij. Namque idem dici poterit, si contractus fiat, cum iam instat bellum: cum tunc etiam milites se obligant ad obediendum in omnibus, in quibus licet possunt, & quod hæc obligatio antecesserit, vel quod nunc fiat, nihil interest ad iustitiam. Quartò in simili dubio licet quibuslibet vendere arma his Principibus, atque militibus: in quo tamen idem periculum vertitur, ne cedat, scilicet in iniuriam innocentum, si fortè re ipsa bellum est iniustum. Antecedens commune est. Consequentia probatur: quia uterque concursus est valde moralis ad actum belli, & licet milites quodammodo immediatè videantur concurrere, attamen ordi-

Suarez de Charitate.

nariè magis nocere possunt, qui præbent arma. Quintò licitum est cuilibet servire mercatori propter stipendium, animo cooperandi contradiis illius, de quibus illi non constat esse iniustos, neque teneri illos examinare: ergo similiter censendum erit in præsentis casu. Vltimò ratio non minus his eventis est eadem, quia in omnibus primò, ac per se, quia non est subditus, se subdit alteri propter stipendium, in quo nulli irrogat iniuriam, neque per se loquendo, se exponit periculo alicuius mali, & aliàs vtitur iure suo vendendo res suas, aut suam operam, quo certè non tenetur se privare in suum damnum. Atque de his millebus accedit specialis ratio: pro se quippe habent authoritatem Principis, & totius Reipublicæ, quæ inducit magnam probabilitatem. Vnde omnibus perperis minime videntur tunc eligere partem minus tutam.

12. Hæc argumenta planè continentur, neque in re ipsa vllam differentiam inuenio inter subditos, atque non subditos. Et ita Victoria supra in sua relectione à num. 24. indifferenter loquitur de militibus. Sed quia res est moralis, vt seurius procedatur, statuo: si dubium sit purè negatiuum, probabilius possit hos ire ad bellum, nullo examine facto, totoque in Principem, cui subduntur, onerare ècto: quem tamen suppono esse bonæ apud omnes existimationis atque hoc aperte docet Victoria, & consentiunt alij Thomistæ: si verò dubium sit positivum, & rationes sint vtrinque probabiles, credo fore obligandos ad inquirendam veritatem, quam si non possint assequi, se qui debent quod probabilius erit, ac iuvare illum, qui ius habet probabilius: quia cum dubium sit in facto, & de damno proximi, vel defensione innocentis, sequendum est quod probabilius apparuerit, iuxta regulas datas de conscientia sect. 6. citata. Ad hoc autem satis erit militibus, si ipsi consulant viros prudentes, & timoratos, An possint simpliciter ire ad tale bellum, ne, ne? Quod si dicant milites vnum corpus politicum constituunt, habentque sua capita satisfaciunt profectò inferiores, si per suum quique caput, aut principem examinent iustitiam belli, eorumque sequantur iudicium. Quod si tandem pro vtraque parte habeant rationes æquè probabiles, tunc gerere se possunt, ac si dubium esset merè negatiuum, quia tunc vtroque est æqualitas, & præponderat authoritas principis, quod etiam clare innuauit Syluester, verbo *bellum*, Et de hac quæstione hæc sufficiant.

SECTIO VII.

Quis sit debitus modus gerendi bellum.

i. Distinguenda sunt tria tempora, initium belli, ac prosecutio belli ante partem victoriam, & tempus post victoriam partem. Distinguenda etiam sunt illa tria genera personarum, Princeps supremus, duces medij, infimi milites, qui omnes possunt comparari. Primò ad hostes, quid nimirum possint cum illis iuste agere. Secundò inter se, quid rex debeat agere cum militibus. Tertiò quid milites cum regibus. Quartò, quid cum externis V. g. hospitibus, apud quos in itinere diuersantur. Hic potissimum agimus de primo, tamen breuiter circa alios aliquid dicemus.

2. Circa quartum igitur breuiter possumus dicere, quod Ioan. Baptista Luc. 3. docuit. *Neminem conuincatis, & contenti estote stipendij vestri.* Vnde hi omnes nihil possunt ab hospitibus accipere, præter id, quod à Rege constitutum est, aliàs pescant contra iustitiam, & tenentur restituere: et quæ idem est, si faciant alia damna per domos agros &c. Duces verò, & Principes tenentur ex officio hæc omnia, quoad possunt, impedire, aliàs totum onus restitutionis.

Q9

Quinto.

sexto.

Authoris de-
cisis bipare-
tia.

Quoad du-
bium nega-
tiuum.

Quoad du-
bium posi-
tiuum.

Notationes
pro resolu-
tione.

Quadruplex
comparatio
proponitur.

De quartà
compara-
tione.